



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei**

**Coloniæ Agrippinæ, 1687**

Formula prima. In qua singulas considerationes convenie[n]tes  
consequuntur affectus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

## CAPUT XVII.

*Formulae Orationis.*

**T**Res esse methodos, quas observare quis potest in eliciendis affectibus in oratione, superius annotavimus. Prima est, ut singulas considerationes immediatè sequantur affectus. Secunda, ut omnes considerationes præmittantur, antequam ullus affectus eliciatur. Tertia, ut affectus considerationibus permisceantur. Ea de causa videri cui posset necessarium, ut hic triplicis generis meditandi formulas adjiceremus secundùm istam triplicem methodum: at duo nobis genera sufficient, quia unum servire potest pro primo ac secundo modo, ut suo loco ostensuri sumus.

Peccatum vero materiam nobis & argumentum suppeditabit, de quo quatuor instituemus considerationes, quæ constituent quatuor puncta meditationis.

## FORMULA PRIMA.

*In qua singulas considerationes  
convenientes consequuntur  
affectus.*

Directio,

*Actus hu-  
militatis.*

**A**Nte divinam Majestatem tuam Domine hic me sisto, de peccatis meis tecum collocuturus. Novi equidem atque omnino con-

confiteor me prorsus indignum esse, qui in conspectum tuum veniam, qui hominum sum omnium quam maximè detestandus, ac mille jam pridem infernos promeritus. At infinita bonitas ac paterna benignitas illa, qua recipere consuevisti peccatores peccata sua agnoscentes, faciliorem mihi aditum reddet, accessumque ad divinam Majestatem tuam, si placet, donabit.

Quinimò, scio, Domine, tuum erga peccatores amorem tantum esse, ut illos ipse provocare omnibusque modis allicere & attrahere non cesses, ut ad seipsos, atque ad te revertantur, peccata sua agnoscentes, ingratitude ac demeritum intelligentes, ea deplorent, veniam à te humillimè petant, sicque in gratiam tecum redeant.

*Idea quam quis in hac meditatione de Deo habere debet.*

Hoc ipsum est, quod ego modo facere cogito ad pedes misericordiae tuae, ea, qua mihi possibile est, cum humilitate ac verecundia prostratus, ut humillimè te obtester, ut meorum mihi veniam peccatorum, infidelitatum atque ingratitude, quibus tuam in me iracundi in concitavi, concedas, clementerque indulgeas.

*Expositio intentionis praefixae orationis.*

Omnia, humillimè rogo te, in hac actione mea tuae gratiae impedimenta removeas, memoriam meam bonis cogitationibus, intellectum luminibus, ac sanctis voluntatem affectibus repleas, cor & sensus meos dirigas, ut orationem hanc perficere possim, uti facere cupio, ad majorem tuam gloriam, animaeque meae salutem. Animum meum ad te atque ad propositam materiam attentum

*Petitio auxilii divini.*

*De  
oratione*

*e quis  
tione,  
regulas  
affe.  
s pra.  
ciatur,  
permi.  
ecessa.  
i for.  
olicem  
icient,  
ecun-*

*argu.  
insti.  
t qua-*

*PS*

*omi-  
ecum  
nino  
con-*

efficias, ut inde veros affectus, firmaque proposita eliciam peccata super omnia execrandi ac fugiendi.

*Abdicatio  
distractio-  
num.*

*Invocatio  
B.V.*

*Angeli  
nostri  
president  
orationi-  
bus: Dia-  
boli verò  
nil eque  
satagunt,  
quàm ut  
nos ab illis  
impediant  
aut in illis  
distrahāt.*

Renuncio omnibus distractionibus, tum multibus, aliisque impedimentis, quæ supervenire mihi poterunt, coram te protestans illis nullum unquam præbere me velle consensum, idcirco ex nunc illa ab dico. Virgo ter sancta terque gloriosa, tuo mihi interventu assistas, tuque mihi, Angele mi tutelaris, tuis sanctis illuminationibus ad sis, atque inimicos perfectionis meæ, ne me in divino hocce exercitio interturbent, cohibeas.

### CONSIDERATIO PRIMA.

*Quàm peccatum in seipso sit abominabile.*

*Salvator  
noster di-  
cebat de  
Iuda:  
bonum e-  
rat ei, si  
natus non  
fuisset ho-  
mo ille.*

*Matt. 26.*

*24.*

**A** Ge igitur, anima mea, rem aggrediamur, videamusque atque attentè coram illo, quem toties offendimus, consideremus quid sit peccatum. Dic, ô infame peccatum, quid es in homine, nisi terribile monstrum, horror omnium horro- rum, atque abominatio omnium abominationum? Tu es calamitatum omnium caput omninò pejus nihilo, quia satius multò foret nunquam fuisse in numero creaturarum, quam te admisisse. Prò! Quam horribilem in animam tu inducis deformitatem? Etenim ea, quæ est imago Dei ac sanctuarium, in quo habitare divinæ suæ complacet Majestati, illa inquam imaginem Diaboli gestare incipit, atque in cubile draconum aspi-